



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

LXI. An, & quæ personæ facientes, vel permittentes ingredi virtute
facultatum, contrahant excommunicationem, & cæteras pœnas dicti
Motus Greg. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

cebam, est tantum indirecte volita; altera est crassa, lata, seu supina; ad quam scilicet tollendam nulla, vel modica adhibetur diligentia (qualis ignorantia plerumque esse solet earum rerum, quæ communiter ab eiusdem conditionis, ac status hominibus cognoscuntur) quapropter ignorantia crassa, lata, seu supina est, quæ ex magna cognoscendi negligentia oritur, siue quam quis facile, cum posset, & deberet, deponere negligit: omnino tamen hic requiritur, quod operans habuerit aliquam suspensionem de legis obligatione, eiusque pœnis, vel censuris, & non obstante hoc, nulla, vel penè nulla adhibita veritatis indagatione, opus prohibitum exequatur, non sine virtuali contumacia, & interpretatio contemptu legis, eiusque pœnatum, vel censuratum. Vide Sotum in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 2. §. ex his primum. Suar. de censur. disput. 4. sect. 10. numero 4. Sanch. de matrim. lib. 9. disput. 32. numero 32. Coninch. disputat. 13. dubit. 11. Altera est non crassa, non lata, seu non supina; quæ scilicet non tam facile superari potuit, vel ad quam superandam diligentia adhibita est, sed non sufficiens.

An autem hæc ignorantia non crassa, non lata, seu non supina sufficere possit ad culpam mortalem.

Negant Sotus numero 4. distinct. 29. questione 1. art. 2. Graff. part. 1. decis. lib. 4. cap. 9. numero 20. Villalob. in Summ. tom. 1. tractatu 16. dub. 12. numero 6. & Suar. de censur. disput. 4. sect. 10. numero 10. quatenus aiunt, quod omnis ignorantia mortalis, sit crassa, lata, seu supina (quamvis ignorantia hæc latitudinem habeat, ut possit esse, vel valde crassa, lata, & prorsus supina, vel minus crassa, lata, & non prorsus supina; omnis tamen ignorantia hæc, utpotè crassa, lata, seu supina, ut sic, mortalis sit.) Quæ autem ignorantia venialis est, sit non crassa, non lata, seu non supina, & levis.

Affirmant Sanch. libro 1. moral. capite 16. numero 7. & de matrimo. libro 9. disput. 32. numero 31. Portel. in addit. ad dub. Regular. verb. Ignorantia, numero 25. Diana part. 3. tract. 5. resol. 23. Bonacina de censur. disput. 1. quæst. 2. punct. 1. num. 10. & Barbosa in Collect. tom. 3. lib. 1. Sexti Decret. tit. 2. cap. 2. numero 7. & S. quatenus aiunt, quod etiam non crassa, non lata, seu non supina ignorantia sufficiat interdum ad culpam mortalem. At quæstio videtur de nomine: prioris tamen sententiæ modus loquendi mihi magis probatur, consulendus, & sequendus in praxi.

DVBITATIO LX.

An excommunicatio in dicto Motu Gregorij XIII. lata in facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum, sit Pontifici reservata, sicuti est reservata, quæ in eodem Motu fertur contra ingredientem virtute prædictarum facultatum? Vbi etiam de aliis pœnis.

SUMMARIUM.

- 1 Excommunicatio in Motu Gregorij XIII. lata contra facientes, vel permittentes ingredi

virtute facultatum est Pontifici reservata, sicuti est reservata qua in eodem motu fertur contra ingredientem virtute prædictarum facultatum.

- 2 Pœna reservata in dicto motu Gregorij XIII. excepta excommunicatione, non sunt reservata Pontifici, & ideo auferri possunt per inferiorem.
- 3 Absolvere quis possit à dicta excommunicatione, & in pœnis dispensare, vide ibi.

Respondetur affirmatiue, quia cum Pontifex præmiserit excommunicationem sibi reservatam in ingredientem virtute facultatum, consequens est, quod si excommunicatio prior sit reservata, reservata etiam sit & hæc posterior, quia Summus Pontifex eandem excommunicationem infert in facientes, & permittentes ingredi, ac intulerat in ingredientem, ibi: Sub eadem excommunicationis pœna, &c. at in istos intulerat excommunicationem reservatam, sicuti dicebam, & patet ex textu: ergo, &c. Llamas in Append. §. 12. in princip. Suar. tom. 5. in 3. part. disput. 22. sect. 6. num. 14. Confestius tit. 20. cap. 6. ad fin. & cap. 9. numero 3. & Bonac. de clausura, quæst. 4. punct. 6. numero 7. Alias verò pœnas hic non reservat sibi Pontifex: quapropter auferri illæ poterunt ab iis, quos dicebam aub. 28.

Cæterum, an ab hac vera excommunicatione Pontifici reservata, si sit occulta, possit absolvere Episcopus virtute Tridentini, vel Confessarius virtute Bullæ, vel Religiosus virtute privilegiorum suæ Religionis? Vide supra cit. dub. 28. & infra dubit. 69. 81. & 82. Item an à pœnis in dicto Motu appositis, scilicet à privatione officiorum, & inhabilitate ad illa, possit dispensare alius, quam Summus Pontifex? vide dubit. 29. Vide item an ad dictas pœnas incurrendas requiratur sententia iudicis, dubit. 23. Item tandem quid intelligatur nomine officiorum? vide dubit. 24.

DVBITATIO LXI.

An, & quæ personæ facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum contrahant excommunicationem, & cæteras pœnas dicti Motus Gregorij XIII.

SUMMARIUM.

- 1 Superiores utriusque sexus tantum secundum probabiliorem opinionem contrahunt excommunicationem, & cæteras pœnas, ut privationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, latis in motu Gregorij XIII. contra facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum.
- 2 Verba (quocumque nomine vocentur) satis clare denotant motum non loqui de privatis Religionum personis.
- 3 Sententia prædicta rationibus confirmatur.
- 4 Admittens ingredientem ad malum finem, etsi non ex prætexu licentia, non contrahit excommunicationem Tridentini.
- 5 Scribens, vel mittens ad Monialem literas etiam obscenas, non contrahit excommunicationem contra loquentes latam.
- 6 Participans cum excommunicato in crimine criminis

noſo non incurrit excommunicationem, niſi poſt declarationem excommunicati non tolerati.

- 7 Permittens ingredi habentem dictas facultates, modo ingrediens prætextu illarum non introimitur, incurrit prædictas penas dicti Motus.

R Espondetur, quod licet Llamas cit. §. 32. in princ. cap. Bonacina de clauſura, quaſt. 4. punct. 6. num. 3. Filiucius tom. 1. tract. 15. cap. 5. num. 119. & alij putent, quod penas dicti Motus Gregorij XIII. contrahant, non ſolum omnes ſuperiores vtriuſque ſexus, ſed etiam omnes Religioſi vtriuſque ſexus, facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum; moti ex eo, quia in cit. Motu dictæ pænæ expreſſe imponuntur Abbatibus, Abbaibus, Conuentibus, & aliis Monafteriorum vtriuſque ſexus Superioribus; at paulò poſt immediate ponuntur verba, & aliis perſonis, quocumque nomine vocentur. At per illa verba: Et aliis perſonis, quocumque nomine vocentur, ſignificari non poſſunt, niſi Religioſi vtriuſque ſexus, quia alioquin dicta verba eſſent ſuperflua; cum iam cit. Motus expreſſerit Superiores vtriuſque ſexus: ergo, &c. tamen oppoſitum (quod docet Rodriguez tom. 1. 99. Regul. quaſt. 47. art. 3. Miranda tract. de Monial. quaſt. 2. art. 12. conſul. 3. Barboſa de poteſt. Episcop. part. 3. alleg. 102. num. 33. & Diana part. 2. tract. 5. reſol. 33.) ſit multò probabilius; nempe tantum Superiores vtriuſque ſexus facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum, contrahere excommunicationem, & cæteras pœnas (vt priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa) dicti Motus Gregorij XIII. quia per illa verba: Et aliis perſonis, quocumque nomine vocentur, ſolum ſignificantur alij Superiores, quocumque nomine dicantur, cum his verbis: Quocumque nomine vocentur, ſatis clarè denotetur, Motum non loqui de priuatis Religionum perſonis; nam hæ ſemper Religioſi, vel Religioſæ dicuntur; ſed de Religionum Superioribus, & qui in diuerſis Monafteriis diuerſo nomine vocantur.

Confirmatur, quia dictus Motus paulò inferius volens ſub pœnis comprehendere quaſcumque Moniales, quæ admittunt ingredientem de licentia Episcop. in caſibus non neceſſariis, id expreſſit indefinite dicens, Moniales: ergo ſi idem voluiſſet in caſu noſtro, id facile expreſſiſſet ſimiliter dicens, & alios Religioſos vtriuſque ſexus.

Confirmatur ſecundò, quia pænæ potius ſunt reſtringendæ, quàm ampliandæ: ergo, &c. Idemque, quod modo dixi de Bulla Gregorij XIII. abſque dubio dicendum eſt de Bulla Pauli V.

Obiicies ex Filiucio loco ſuprà cit. praxis S. Pœnitentiæ ſeruat oppoſitum: ergo.

Reſpondetur, tranſeat antecedens, nec id eſt mirum, quia oppoſitum eſt etiam ſatis probabile: quapropter ſic S. Pœnitentiaria ſequitur opinionem probabilem, quin agit cautius, & tutius.

Instabis, ſaltem admittens ingredientem ad malum finem, etſi non ex prætextu licentiæ, contrahet excommunicationem Tridentini ſeſſ. 25. de Regularib. cap. 5. Pontifici non reſeruatam.

Reſpondetur, nego antecedens, quia Tridentinum ibi excommunicat ſolum ingredientem, nullam mentionem faciens de admittentibus, qui nec alibi excommunicantur, niſi caſu quo admittant ingredientem prætextu facultatum: excommunicationem autem, vtpotè pœnalis, non extenditur de caſu ad caſum, à patetate, quin neque à maiore rationis: verbi gratia ſcribens, vel mit- tens ad Monialem literas, etiam obſcenas, non Thom. Delbene de Immunit. Eccleſ. Pars I L.

contrahit excommunicationem contra loquentes cum Monialibus laram. Vide quæ dicebantur dubit. 58. in fin. & Doctores, quos citat, & ſequitur Barboſa de poteſt. Episcop. part. 3. alleg. 102. num. 81.

Verbis: Participat in crimine criminoſo, & ſic participans contrahit eandem excommunicationem, quam is, cum quo participat, contraxit, cap. nuper, de ſentent. excommun. ergo, &c.

Reſpondetur, ad incurrendam excommunicationem iſtam, iuxta cit. cap. nuper, opus eſſe, vt is, cum quo quis participat, ſit excommunicatus denunciatus, ſeu non toleratus.

Addo, quod neque excommunicationem, & alias pœnas dictas contrahat, qui permittit ingredi habentem prædictas facultates, ſed non ingredientem virtute illarum, ſed ingredientem veluti ac ſi illas non haberet, ſeu illis non inuitendo; quamvis eas contrahat, ſi permittat ingredi eum, qui habens prædictas facultates velit ingredi virtute illarum, licet ipſe non permittat ingredi eum virtute illarum, ſed talem prætextum reſpuat. Ratio eſt, quia in tali caſu permittit vſum talium facultatum, dum permittit ingredi ingredientem virtute facultatum, quas hic reuera aliquando habuit. Vide Nauarrum comment. 4. de Regular. num. 62.

DUBITATIO LXII.

An & quid veniat nomine Conuentuum, quos facientes, vel permittentes ingredi virtute facultatum, punit Motus Gregorij XIII.

SUMMARIUM.

- 1 Conuentus nomine veniunt Religioſi cum ſuperiore in vnum coacti.
- 2 Capituli nomine veniunt Canonici cum Decano in vnum congregati.
- 3 Motus Gregorij XIII. excommunicat Religioſos vtriuſque ſexus, ſi in vnum, ſeu collegialiter coacti quempiam virtute facultatum ingredi faciant, vel permittant.
- 4 Conuentus collegialiter coactus ſi delinquat, puniri debent omnes conſentientes, aut non contradicentes, ſi conſentire, vel contradicere teneantur.
- 5 Conuentus nomine ſecundum Rodriguez ſatis probabiliter non veniunt omnes vtriuſque ſexus Religioſi, ſed ſolum maiores cum Pralato.
- 6 Pontifex prohibens excommunicari Vniuerſitatem, permittit excommunicari aliquos ex vniuerſitate.
- 7 Pralati, & officiales puniri iubentur, cum totus Conuentus in ſimoniaca Monachi receptione delinquit.
- 8 Religioſi omnes tenentur reſtituere pecuniam ſimoniace acceptam, Abbates verò, & maiores perſone pœna lata contra ſimoniacos aſſiciuntur.
- 9 Motus Gregorij XIII. puniens Conuentum prætextu facultatum aliquem ingredi facientem, vel permittentem, aſſicit tantum Superiores, & eorum Conſultores, ſeu præcipuos Officiales, quorum conſilio Superior gubernatur.
- 10 Maiores cum Pralato non puniuntur pœnis in dicto motu contentis, ſi Conuentus non delinquat collegialiter.